

I 18  
*OPTIMO DILECTISSIMOQUE PATRI*  
*LUDOVICO-HIERONYMO RAUSSIN,*

*ANTIQUIORI SCHOLARUM MAGISTRO, PROFESSORI*  
*ANTONIANO, HUJUS ACTUS PRÆSIDI;*

*In æternum grati animi monumentum, hos vigiliarum fructus*

*DICAT, VOVET ET OFFERT*

Devinctissimus obsequentissimusque  
Filius, JOSEPHUS RAUSSIN.

## *QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS,  
In Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die Jovis vigesimâ-  
secundâ Aprilis, Anno 1779, horâ octavâ matutinâ.

*An morbis chronicis minerales Aquæ Remenses?*

### I.



D vitam, Dei donum, una duntaxat via; ad mortem  
verò patent innumeræ. Quis inter mortales hoc  
ambiret munus, si ad millenas quibus circumcingitur  
calamitates, vel leviter attenderet? O flebilis homin's  
conditio! Quemadmodùm vitam dolores inter  
auspicatur, sic ab eâ vi laborum ejicitur: undique  
circumstrepunt mala: ubiquè bellum & insidiæ. Ver, licet floridum,  
morborum ferax, multos de medio tollit: liquores exsiccat princi-  
piaque vitæ sufflaminat Æstas torrida: frugifer Autumnus, ut par-  
fit mensura malorum, morbis dat ansam compluribus quibus è  
viventium albo expunguntur hominum millia: non minor eorum  
pagina quos scelerato frigore gelida necat Hiems. Nec mirum: vix  
attingit limina vitæ Puerulus, cùm adoriantur eum, agmine facto,  
imbecillitas, impotentia, dolor. Quid enim aliud indicant ac testantur  
suspiria, querelæ, vagitus, lacrymæ. Pueritiam, Adolescentiamque  
excipit molestiarum Ilias, quæ in Juvenili Virilive ætate crescunt,  
vires imò acquirunt eundo: scansili tandem lege obrepit non intellecta  
Senectus, (morbum continuum non immerito dixeris) in quâ morti  
quotidiè propior est vita, & animam è corpore molliter educere  
Natura parat. Ad hæc ergò vitam præcipitem ducit homo, tantique

A

suam suprà cætera animantia jactat præcellentiam ! Nonne melius sibi, si non fuisset natus ? Ne mussites & à querimoniis tandem abstine : bona enim sunt proxima malis. Ab Altissimo data est *Ars Iatrica*, beneficium munus tot compescendis tempestatibus idoneum. Quot enim præ se fert auxilia modò conservatrix, modò curatrix per nobilis scientia ! Divinitùs nata , eam adipisci iis solùm datum est quos æquus amavit Apollo , qui que longos meditando consumplere dies. Principiis innixa certis , falsò apud sciolos merè conjecturalis habetur. Artem sublimem dijudicare non dubitat audax Iapethi genus, cæcutiensque aspernari & negare mavult, quām venerari & credere. Sed perperam : ab ovo ad senium morbis obfessus homo, ad ipsissimam quam modò deturpaverat artem , seriùs ociùs confugit, Virorumque in eā recoctorum implorat auxilium & sollicitat. Nec immerito : amicam ægro porrigit manum Medicus ; rebus in arduis solus præstò est ; cuncta sedulò meditatur ; universa cautè prævidet ; quidquid ad curationem vel morbi levamen tentandum , animo forti præscribit ; omnia tandem sæpè sæpius faustè obtinet. Morbosos inter affectus quibus affligitur microcosmus, cùm chronici secundum saltem teneant locum ; de Concivibus benè mereri credam , si de hisce morbis , pro meo modulo , agendo , in mineralibus Aquis Remensibus dulce solamen , quin & potens auxilium contrà exitiale illud morborum genus existere probaverim.

## I I.

**I**N solidorum fluidorumque actione ac reactione reciprocâ tota ponitur animalis œconomia. Hæc inter dum adest consensus , sanitas ; si absit , morbus. Homo naturæ soboles excellentior, quem admodum animantes cæteras , ratione , ortūs dignitate formæque præstantiâ præcellit ; sic eas longævitate superaret , nisi continuò dupli hostium agmine , acutis nempè & chronicis morbis lacefferetur. Acuti autem morbi dicuntur illi qui brevi temporiis spatio sua percurrunt stadia : chronici verò , de quibus hic agimus , nuncupantur illi in quibus , non nisi longo tempore elapsò , ad sanitatem revocatur, vel è medio tollitur æger. Alterutros pati durum ! At acutis periculo non cedunt chronici : ab illis equidem vix perculsus ægrotus , Acherontis salutat littora ; at at ab his invasus licet lentiùs , vitam trahit in luctu , paulatim attenuatur ab hoste , tandem mique migrat ad Avos orci victimam. Verba ni credas , Nosodochia adire ne recusas , durique miles Ulissi , à lacrymis tempera ! Idem cujus per totam hepatis subitantiam biliaris obducuntur ductus conspice. Qualis ejus habitus ! Luror deformis , torva oculorum acies , buccus faciei color , Tantalea fitis , micies sceleris , defecdati totius corporis arescens & velutì squammosa cutis , fatum lentiōri serpens gradu incusant immane ; &

tamen mors sæva illudit misero , quæque renuentes & invitatos sæpius occupat , annuentem nunc relinquit. Contumiscis ! retrò fugis ! Quid ergo , si obstructionum Iliadis , si scorbuti , siphilitis , nodosæ arthritidis ; si hydrocephalus , paralyticus , epilepsia , mania , melancholia sexcentorumve aliorum morborum imagines nudo pingerem penicillo ? Non immerito igitu asseruerim cunctos morbis chronicis appetitos , mortis haud dubiè futuros esse prædam , si diutius curatricis scientiæ respuerint auxilia : tales enim componere suetus , opus est Medici arduum & difficile. Reverà , eò gravioribus circumsepti grassantur symptomatibus idgenus affectus , quò magis larvati , mentitâ benignitatis specie , ægrum malèque scuros affidentes jamdudum fallunt. Tunc non una semper & eadem adhibenda est medendi methodus. Sagax & prudens Medicus multiplici armaturâ dives , hostem aperto modo , modò tacito marte aggreditur & destruit. Inter innumera quibus luxuriant medicaminum silva , pauca sed exquisitè seligit optima , quæ morbi naturæ , causis , symptomatibus novit accommodare. Nunc à Diætâ solâ , nunc à Chymia Pharmaciâve , nunc à Naturâ nudâ varia mutuantur auxilia & quidem efficacissima. Benè multas inter opes suas fini suo recondit , vel foras propellit Tellus fœcunda , non infimum locum occupant Aquæ diversæ minerales. Nec injuria : variis enim quibus scatent principiis , ad varios chronicos morbos delendos sunt idoneæ. At indiscriminatim non adducendæ sunt in usum : hæ enim hunc ægrum sublevant , quæ alium enecant. Varia , pro naturâ suâ , nomina fortuntur : si calidæ , Thermales ; si frigidæ , Acidulæ runcupantur. Has inter , calcariæ quædam ; quædam martiales audiunt. Harumce efficacitem potentiamque in chronicis affectibus curandis palam exponemus , postquam causas eorum paucis enucleaverimus.

## I I I.

**Q**UAS sacro natura tegit involucro morborum causas in propatulo ponere , non cuivis datum est. Quippè quod ea quæ fidelibus subjecit oculis sensuumque juris fecit , vix certò , ( etiam in consilio advocatâ Ratione ) possunt dignosci. At in arduis ausisse gloriosum ! Chronicorum causæ vel internæ sunt vel externæ. Has silentio premam , cùm raro tolli queant. Quì enim sanarentur cerebri affectus ortum à pravâ cranii figurâ reposcentes ? Quænam erit medela adversus thoracicorum abdominaliumve vitia quæ nascuntur ab incunabulis , à fasciis , à loricis balænatis , vix dixerim æneis , quibus pueri puellæque à tenebris , crudeli matrum studio , incarcerantur ? Causæ autem internæ in proximas & remotas tribuuntur. De remotis adhuc inter Medicos ambigitur utrùm à solidis , an à fluidis sint reposcendæ ? Melius forsitan ab utrisque deducerentur. Proximæ verò , ex immortali BOERHAAVIO , in vitiis liquidorum sensim in

corpo natis , aut iisdem à morbo male curato reliquis , ponuntur. Multimodè vitiantur humores corporis humani ; nunc scilicet acidò aut austero quodam liquore ; modo falsedine muriaticâ ; modò alkali glutinoso inficiuntur. Horumce quæris originem ? In promptu est : humores siquidem indigesti , male cusi , qui , teste fidei naturæ Interprete SYDENHAMO , innumeris diversi generis stagnationibus ansam ferre valent. Reverà , omnes inter corporis partes chronicis morbis obnoxiores , nullæ sœpius periculosaque tentantur , quam jecur , ventriculus , intestinalis fistula. Nec mirum : nulla morà , nullà datâ quiete , officio suo vacant hæc viscera , operosumque digerendi , fecernendi , egerendi munus exequuntur ; gemunt insuper gulæ sub imperio : indè gastricarum functionum damnosa læsio , hepatis , glandularum mefaracarum , cæterorumque viscerum interclusio , obstructio , debilitas ac agendi impotentia. Tot tantisque malis mederi cupis ? Remedium , si quod sit , habes ad manum : prestò sunt minerales Aquæ Remenses. Nec verba damus : ad nostra convolabitis vexilla , ubi nostrarum aquarum naturam operandique modum pauc s pertingerimus. Medicos constat apud omnes , naturâ suâ chronicos morbos eò tendere ut vel constringantur vasa , vel erodantur vasula ; ut densentur lymphæ latices sanguineaque moles dissolvatur ; ut tandem quædam ex mox recensitis , connubium ineuntia , jui cùs viribus , machinam totam oppugnet. Ex his ultrò sobolescunt obstrunctiones quibus , pro variâ diversorum viscerum debilitate , illa præ aliis pleuntur. Nunc enim totius jecoris biliarii stranguluntur pori ; bilis , dissipato per membranos vehiculo , spissescit in g. t. mos p. e. coctur ; gypseâ mole inducuntur tubuli ; serpit in dies malum , obstruetisque dñm forinis omnibus , brevè cedit hepar in massam scirrhocam eò diñcilius domandam , quò penitiores antiquioresque morbus egit radices. Periculum in morâ : hosteri ergo aggredere priusquam Medicinæ telis fiat impervius. Quoad virtutia a n. orbis male curatis residua , facile intelligitur quì occipit v. g. hepatitis , dñm primi morbi insultus comitem habent febrem acutam ; dñm do'or gravis hepatitis confinia premit croceus jue color per corporis peripl etiam dispergitur. Tunc , si venæ. sanguibus parcatur , si diluentia aliaque , variâ pro indicatione , non a libeantur remedia ; mox , nec mirum , inflammatæ obstantæque jecinoris partes vel indurantur , vel ad suppurationem vergunt ; unde diriores aguntur impostorum tragediae , tandemque cœnuntur vitæ fabella. His positis , post brevem Remensem Aquarum analysis , monstrare aggrediā illis acida corrigendo , pinguia & g. ut nosa dilucido , &c. &c. , obstrunctiones referre , ægrorum doores nec-non tormina compescere , unde in chronicis sunt adhibendæ.

**C**AMPANIAE in parte saluberrimâ , mediâ scilicet in valle , posita est Civitas Remorum antiquissima , clivo miti ad Orientem & Meridiem paulatim intumescente ; ita ut nec hibernis torpeat pruinis , nec æstivis uratur vaporibus. Aëris simul & aquarum VIDULÆ (a) salubritate felix , Vinorum (b) præstantia , Fruetuum dulcedine & copiâ jam dives , propè muros exsilit Aqua mineralis acidula ferri dotibus innumeris , non dubia vi in morbis chronicis pollens (c). Harum excellentiam aperiè declarat analysis chimica. È cancellis recens haustæ , intuitu limpidæ , aquâ communī fontium urbanarum vigenti quatuor granis , unâquaque librâ , graviores , saporem leviter adstringentem & martiale sub linguâ taucibusque excitant aquæ nostrarēs. Gallarum accessione , sub-rubrum illicò colorem & paulò post atro rubrum induunt. Aéri libeo aliquandiū expositæ , ferreas particulas o. hræ sub formâ dimittunt ; undè aquas acido vitriolico & magnâ mobilissimi aëris copia imprægnari constat. Granum unum & quadrantem , nec-non tūri selenitidis , tūm terræ cretaceæ tenuissimæ , tertiam grani partem tenet unaquaque aquæ libra , &c. &c. (d) Talibus ex principiis in infinitum penè divisis , exsurgit Remensem Aquarum mineralium chalybeata virtus : undè vires earum , nec-non in chronicis aff. stibis operandi modum eruere , minimè arduum. Equidem , cùm aquæ simplicis tanta sit ad firmandam valetudinem utilitas (e) ; quid non ipsi salubritatis accedet , ab admixtione substantiarum quæ seu ad aicendos , seu ad fugandos morbos efficacissimæ usu quotidiano deprehenduntur ? Talia sunt vitriolum martiale , terra cretacea subtilis & selenites. Quot &c quantas laudes sibi vindicat ferrum in negotio tue dæ sanitatis , nemo nescit : fatiscentem fibrarum

(a) De exc llement^ VIDULÆ , consule Thesim M. HENRICI NINNIN , S. Fac. Med. Remensis Doct. Reg. eit's , An Vidula salub is ? an o 1749.

(b) Encomium Vii i Rem nsis l. gere e. in T. sib. D. D. JOANNIS-PAPTISTÆ DE REVELOIS , D. Med. P. r. sienensis , An Vin m Reven se sit or nium saluberrin.um ? anno 1677 : D. ac M. ÆGIDIU CULOTEAU , Rem ns Schol. O aculi , An Vinum Remense Bu. g. nd co. s. u. r. i. s & salubrius ? anno 1700 : M. ROBERTI-HUBERTI LINGUET , Doc . Med. Parisi. An Vinum Remense ut suave , sc salubre ? Ann. 1741.

(c) Hic fons suis est in viâ vulgo dictâ , Rue de Moulin , Moletinam propè.

(d) Consule libellum cui tulus , Examens chymique de l'Eau de la Fontaine , dite de rue de Moulin , par M. FRANÇOIS GOURDIN , Maître Apothicaire à Reims : Et les Observations sur les veus de ces Eaux , par M. ROBERT FILLION , Docteur-Régent de la Faculté de Med. c ne. Chez J. B. JEUNEHOMME , Imprimeur du Roi 1772.

(e) L ge Thet s. M. PETRI-ANTONII LEPI , Doct. Med. Parisiensis , An aquæ potus om' i. i. f. i. r. i. n. us ? Anno 1747 : M. FRANCISCI MERY , An salubrior Sequari ? anr 743 : Prædictam Thesim M. NINNIN , An vidula salubris ? M. J. E. LOYER , An gravidis aquæ potus ? anno 1743 , &c. &c.

tonum erigit, tollit infarctus, abnormes fistit liquidorum effluxus, lento dividit humores, incidit crassos, tenuiores cogit, vias strigunt patentiores, occlusas referat, robur ventriculo ceterisque visceribus conciliat. Vires suas Mars potissimum depromit, potiusque agit, cum solventis acidi ope, formam salis obtinuit: hinc feliciter admodum usurpantur Tincturæ Martis LUDOVICI, MYSICHTI, Tartarum martiatum solubile, sal Martis RIVERII, & alia idgenus à Medicis clinicis multi facta remedia vel ad sanandos, vel ad præcavendos plures chronicos affectus. Tantum si valeant Martis arte factæ præparations, quid non expestantum à vitrioli ferro in Aquis Remensibus ab ipfissimâ naturâ deposito? Tantò sanè omnis artis producta antecellit, quantò subtilius volatiliusque acidum recondit: tunc enim vapor evanidus omnia pervadit Martemque tenuissimum alis quasi ferens, in minutissimos ductus inferit. Qui legerit hæc, jam non mirabitur quod de nostratis Aquis tantoperè prædicem. Nec speinen'æ facultates quas à cretaceâ terrâ mutuantur; hâc enim, absorbentium more, combibendis acidis in hippocondriacorum ventriculo genitis sunt accommodatissimæ. Nec minus juvat selenites in illis soluta: siquidem easdem fibris, quas præterfluendo lambunt, sollicitandis aptas efficit. Sic motum sanguinis progressivum fovet excretionesque promovet. Quid plura? Ex his jam satis probatur nostra propositio; ut verò omnibus evidenter fiat, eam aliquot exemplis praxeos in chronicis astruere decet.

## V.

**A**Ventriculi vitiis, ut plurimùm, pendent chronicis affectus: non raro gaster visceraque chylopoietica acidis turgit; hinc omnes ferè assumpti cibi acidam indolem nanciscuntur, interno calore quasi uruntur præcordia, striguntur alvus, chimus coagulatur in primis viis, borborigmis torminibusque cruciantur ægri. Hæc si diutiùs durent, chylus malè elaboratus acescit, hocque vitium secum in liquores ad machinam humanam rore benigno, leni, balsamico alluendam destinatos, transvehit; constringuntur, quin & eroduntur vasula; ac nedum ad incrementum corporis vergat cibus, contrà cedit in ejus perniciem. Quis nunc his fractus morbis, salutiferos fontes nostros adire, seque pleno cyatho proluere dubitat? Præsertim si ad principia quibus scatent, studiosè attendat; ferri etenim partibus duris frangentur obtundenturque acidi spicula quæ à terrâ cretaceâ absorbentur. Selinitidis præsentia, quasi sale neutro, leniter sollicitatur alvus, infensique corporis humores foras eliminantur. Si verò jam latices acido imbuanit, tunc vasorum lacteorum osculis attractæ aquarum partes integrantes in alveo sanguinis communi refusæ, acidum in vasulis latens edomabunt balsamumque humoribus restituent.

Nec solis affectibus chronicis ab acido quolibet ortis, medentur Aquæ minerales. Non raro stomachi tubæque intestinalis internæ parietes mucagine quâdam, aut à genuinâ ventriculi debilitate, aut à pravâ ingestorum indole pendente, oblinuntur. Hic est ille fons morborum inexhaustus, quorum ni obites principiis, serò parabitur Medicina: brevi enim turbantur digestiones, dum succi gastrici ipsis opitulantes vix manare valent; aboletur appetitus, pondere quodam gravatur gaster, resolvitur alvus; obstruuntur vasculis chyliferis, languet nutritio. Si temporis lapsu resorbeatur intus hæc viscositas, sanguis inde spissior, lentiùs fluet; undè tot viscerum lethales infarctus. Mortis hæc germina rescindere vis? Ad tutissimam anchoram, Aquas Remenses, haud morâ confuge. Aquæ ferreis particulis fetæ, viscositates diluent paulatimque pravam fluidorum diathesim emendabunt. Ex prædictis colligere est quare obstruktionibus specialiter solvendis; nec non omnibus morbis à ventriculi debilitate pendentibus, arcendis; aptæ sint Aquæ nostrates. Quantcumque sit acidularum Remensium excellentia, non perperâni potandæ: quemadmodum enim alimenta nullo ordine, alienoque tempore ingesta, damni plus multò quam commodi afferre solent; sic Aquæ à nobis decantatae; nisi certâ die, horâ, debitâ quantitate, prælibata generali corporis præparatione, idoneaque observatâ diætâ, bibantur; morbos potius quam sanitatem accersent. Hæc de causâ, non Dictionarium sanitatis, non te, non quemvis, sed prudentem Medicum consule: eo facem præferente tutissimus, ibis. Salutis ad fontem mane, orto vix sole, jejuno ventre fidens accede; Aquas per cyathos, inter quemque semi-horâ interpositâ, modò patulâ recubans sub ulmo; modò pratorum adjacentium mollem pede premens herbam; modò lœtâ sub salicium umbrâ deambulans, ad quintum sextumve scyphum epota. Apage chreas agiles durave tiupidia: apage convivia: apage Amasiorum conventus; amor enim non est medicabilis aquis: apage demum quidquid placidos perturbat sensus. Abusu non infamandum præsidium remediumve aliæ profuturum, quod nusquam suâ, alienâ verò semper culpâ nocet. Potatis aquis, ad ædes lento pede redux, gentaculo levi, leni quiete, refice vires. A prandio, à cænâ, alimenta dura, salsa, fumo indurata, vinum austерum prorsus exula. Angue pejus, fuge nimium frigus, calorem immodicum, aërem vespertinum, tristesque fuge affectus animi: Baccho Venerive parcius indulge. Hæc si serves, res prosperè tibi succedent. O fortunatum terque beatum Durocortorum, cui Phœbus, Ceres, Bacchus, Diana, Pan, Pomona, Mercurius & Vidula, amico nexus consociati, uberrima sua rependunt munera! Felices Remi, cum domi habeant fontem, præ vicinis (f),

(f) Fontes Chenaiacæ, Onresiacæ, & plures aliæ in Agro Remensi sitæ.

divitem, undē sanitatem vel conservent vel reposcant! Felix ipsem, cui, dum Atavorum Patrisve premens vestigia, me Medicinæ Conciviumque saluti totum voveo, Saluberrima Facultas Theseos indicavit materiem ipsis utilissimam. Utinam ejus voto fecerim satis, cū penso, pro viribus, absoluto; ad conclusionem fidens propero.

*Ergò morbis chronicis minerales Aquæ Remenses.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- M. LUDOVICUS - HIERONYMUS RAUSSIN, Doctor - Regens, Antiquior Scholarum Magister, & Professor Antonianus.*
- M. HENRICUS NINNIN, Doctor - Regens, salubris Consilii Regii Socius; Serenissimi Principis Claromontii Comitis, dum viveret, Med. Ordinarius; necnon Regiorum Nosocomiorum Inspector; Professor Scholarum.*
- M. DESIDERIUS LE CAMUS, Doctor - Regens, Professor Antonianus.*
- M. ROBERTUS FILLION, Doctor - Regens, Professor Mallius & Decanus.*
- M. JOANNES-BAPTISTA-PETRUS-HENRICUS CAQUÉ, Doctor - Regens, Professor Scholarum.*
- M. VALENTINUS-MARIA LAIGNIER, Doctor - Regens, Professor Scholarum.*
- M. JOANNES-CLAUDIUS NAVIER, Doctor - Regens, Regiae Scientiarum & Artium Academiæ Catalaunensis Socius.*

Proponebat Remis, JOSEPHUS RAUSSIN, Remus, in utroque Jure Licentiatus, nec-non in Majori Ordine Medicinæ Baccalaureus, Theseos Autor.

*A.R.S.H. M. DCC. LXXIX.*

## PRO LICENTIATU.